



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 31. De Paradiso cœlesti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

Invisibilem tanquam videns sustinuit. *Januarius.*
Hebr. 11.

Ama in Creatura Creatorem; nec te-
neat te, quod ab illo factum est, & amit-
tas, à quo ipse factus es. *Aug.*

DIES XXXI.

De Paradiso cælesti.

I.

Quid est Paradisus cælestis? Est felici-
tas, quæ non solum omnes nostros
labores, & merita, sed & nostras cogita-
tiones, & desideria superat. Paradisus hic
est felicitas, quæ omnia mala excludit, &
omnia bona complectitur in omne ævum
duratura. Est oblectatio sine dolore, gau-
dium sine molestiâ, quies sine inquietudine,
pax sine perturbatione, & timore, fructio
omnium bonorum sine fastidio; est bonum
purum, bonum Universale, bonum æter-
num, bonum infinitum. O Cælestis Pa-
radise! Bona, quæ continet, tanta sunt, ut
ad ea exprimenda satis dici; nec ad prome-
renda præstari satis possit. O Paradise Cæ-
lestis! Illi soli, qui te possident, te con-
cipiunt. Ad nos verò quod attinet, aliud
non possumus quàm ad te aspirare.

II. Quid

Januarius.

II. Quid est Paradisus Cælestis? est Inventio summè admiranda sapientiæ Unius DEI, extremus ejus potentiaë Conatus, ejus liberalitatis & magnificentiaë terminus, dignum sanguinis DEI pretium. bonum tam grande, quo DEUS, quantumvis Omnipotens sit, dare melius nil potest: nam is ipsemet est, qui se Beatis in cælo communicat. An quid melius se ipso dare potest? si per plura sæcula subeunda essent Martyrum tormenta; qui comparari possent omnia hæc mala cum tanto bono? *existimo, inquit Apostolus, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Atque ad hanc felicitatem obtinendam à nobis plus non exigitur, quàm ut modicam vim immoderatis nostris cupiditatibus inferamus, ut unico cordis contriti, & humiliati suspirio peccata nostra detestemur, & eorum veniam à DEO flagitemus; ut unicum aquæ vitrum DEI amore sitiienti propinemus. An hoc à nobis exigere nimium est? an non inferorum supplicia meremur si tantillo pretio Cælum nobis comparare negligimus?*

Rom. 8.
v. 18.

III. Quid est Paradisus Cælestis? Est felicitas, ad quam, suspirare, quam desiderare, quam mereri, quam possidere; sed perfectè comprehendere nunquam

quam possumus: & nequetunc, cum ea **Februarius.**
fruemur. At, licet eam comprehendere
nequeamus, certè eam credere debemus.
An verò eam credere, nec tamen deside-
rare, sed potiùs negligere, & exiguam
ei delectationem, turpèmq; unius mo-
menti voluptatem præhabere possumus?
qui felicitatem æternam, felicitatem in-
finitam non assiduè desiderat, infinite
infelix & æternùm esse meretur. Eheu!
damnatorum manes hoc bonum in omnem
æternitatem desiderabunt, sed incassum;
hoc enim desiderium eis ad aliud non ser-
viet, quàm ad augendas eorum misérias.

*Cum tui confusione agnosce exiguum illum
ardorem, quem habes erga tam grandem felici-
tatem, que te in celo manet, inde oriri,
quòd tibi aut fides, aut spes, aut utraque de-
ficiat.*

Oculus non vidit, nec auris audivit,
nec in cor hominis ascendit, quæ præ-
paravit Deus ijs, qui diligunt illum
Cor. 2. v. 9.

Concupisci potest, in illud suspirari po-
test, mente concipi, aut comprehendì
non potest. *Aug.*

G CON-